

„necis, super quibus pro confirmatione, vel provisione ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi, seu illi, quibus providendum est, pro confirmatione & provisione hujusmodi ad curiam Romanam venire non tenebantur.

V. In Gallia vigore Concordatorum Rex nominat personas ad Monasteria vacantia Sedi Apostolica; ut ab hac Sede provisionem accipiant; quae provisio pro confirmatione reputatur. Quare quoad Abbatis & Prioratus Regiae nominationi subiectos, confirmationes seu provisiones a Sede Apostolica peti & obtineri debent.

VI. In Belgio aliquando quastio fuisse legitur, num Abbates per Regem designati a Sede Apostolica confirmationem sive provisionem obtinere tenerentur: eod quod in Indulto Caroli V. Philippi II. & Alberti Archiducis, & nominando ad primarias Ecclesiarum dignitates habeatur, quod sic nominati a Sede Apostolica obtinebunt confirmationem; sed quoad primas dignitates seculares post Episcopales quoad hoc punctus indultum non est receptum; nec enim ullus a Rege ad hujusmodi dignitatem nominatus confirmationem a Sede Apostolica petit. Quoad Abbatis vero, Principes hoc indulto uti non videntur, sed jure quo prius potiebantur; ut nimirum Monasterii quidem sua maneat Canonica electio, hoc tamen temperamento, ut eligant quem Princeps, prius facta inquisitione juxta supra citata Concordata, sibi gratum & maxime idoneum designaverit.

VII. Unde moribus Belgii, Abbatum confirmatio peti, & obtineri consuevit juxta jus commune, & particulares cujusque Ordinis Constitutiones & privilegia. Paucissima autem, eaque a jurisdictione Ordinariorum exempta Ordinis Benedictini Monasteria a Sede Apostolica provisionem seu confirmationem petere consueverunt.

VIII. Provisio Abbatiarum excedentium valorem annuum ducentorum florenorum auri de Camera expeditis consistorialiter, sive in Consistorio Cardinalium, idque pravia informatione ac propositione quae in Cathedralium Ecclesiarum provisione servari consuevit: uti expressè declaravit Gregorius XIV. in sua Constitutione, quae incipit: *Onus Apostolica*, de qua supra tit. 14. cap. 3. actum fuit; ubi & ritus informationis latius descriptus fuit.

IX. Ex taxa autem Abbatiarum & Monasteriorum, quae exhibet Ascianus Tamburinus ad calcem tomi primi De Jure Abbatum, ad exemplar libri Sacri Collegii, *Ex reverendissima Camera Apostolica*, patet, Abbatis Belgii omnes futuras consistoriales, si earum provisio Romae peteretur: taxa enim illarum ibidem notata, multum excedit valorem annuum ducentorum florenorum auri de Camera.

X. Circa Abbatis, quarum provisio a Sede Apostolica habenda est, notandum, quod licet Pontifex in Consistorio det provisionem, nequaquam tamen in vim istius provisionis, possessionem Abbatia aut ejus administrationem accipere queat provisus, ante expeditionem Bullarum; & priusquam placetum Regium hinc in partibus accesserit, quemadmodum in provisione Cathedralium Ecclesiarum obtinere supra tit. 14. cap. 5. ostensum est.

XI. De solemnibus, quae hodie in usu est, Abbatum benedictione nihil in Regulis Monasticis, aut antiquis historiis, aut Ecclesiasticis monumentis occurrit.

Meminit quidem Canon 14. Synodi VII. Abbatum, qui ab Episcopo manus impositionem acceperunt; sed uti bene notant ad dictum Canonem Balfemon, Zonoras aliiq; Graeci Commentatores, tantum sermo est de impositione manus, quae Abbas in Presbyterum ab Episcopo fuit ordinatus. Unde errat Glossa dum ad Can. 1. dist. 69. apud Gratianum hanc manus impositionem pro benedictione Abbatis accipit.

XII. Admodum verisimile est, solemnem illam Abbatum benedictionem, quae ad Episcopalem consecrationem non parum accedit invaluisse, quando Abbates cum ornamentis Pontificalibus ad ipsam quodammodo Pontificali sive Episcopalem eminentiam, ac dignitatem ascendere coeperunt.

XIII. Quidquid sit, illud certum est, benedictionem illam solemnem non constituisse aut efficere Abbatem; nec

ita necessariam esse hanc benedictionem in Abbate, uti est consecratio in Episcopo. Unde saeculo 11. scripsit S. Ivo Carnotensis; *Promotionem Abbatis non facit Episcopalis benedictio, sed Fratrum communis electio.*

XIV. Adhuc Alexander III. in Cap. 1. de Suppl. negl. Pralat. concessit Cisterciensibus, ut si Episcopus tertio, cum humilitate, ac devotione, sicut convenit, requisitus, Abbates benedicere renuerit, liceat Abbatibus proprios Monachos benedicere, & alia quae ad hoc officium pertinent, exercere. Ex quo conficitur, benedictionem nullatenus esse Abbati constituendo necessariam.

Quin nec hodie Abbates triennales benedicuntur (ait Tamburinus De Jure Abbatum tom. 1. disp. 11. quast. 3.) & tamen gaudent prerogativis, quibus benedicti.

XV. Notantque ulterius Canonista, electum & confirmatum, tametsi necesse benedictum, vocari simpliciter Abbatem in citato cap. 1. & cap. 13. de Accusationibus; idemque de stylo Cancellariae Romanae servari scribit Oldradus consil. 14. subdens, Abbatis beneficia vacare post adeptam possessionem ante benedictionem.

XVI. Benedictionem de jure communi Abbates accipere debent a proprio Episcopo, uti notatur in citato cap. 1.

Martinum V. Abbatem S. Pancratii de Florentina Congregationis V. Ihs Umbrosae; & Eugenium IV. Congregationis Caestlinorum concessisse privilegium, ut a quocumque maluerint Antistite gratiam & communionem Sedis Apostolicae habere benedictionem accipiant, refert Tamburinus loco citato quast. 10.

Et teste Choppino lib. 2. *Monast. tit. 1. nu. 7.* per Bullam Innocentii VIII. Cistercienses habent privilegium speciale pro Abbate capite Ordinis, ut possit novis Abbatibus & Abbatissis sui Ordinis factae benedictionis munus impendere, citra Episcopi auctoritatem, edita Bulla an. 1384.

Deinde hoc privilegium extendit Clemens VIII. per Bullam 4. Julii 1599. concedendo Abbati Capiti Ordinis Cisterciensis, constituendi ac delegandi Abbates Commissarios per Provincias cum potestate benedicendi novos Abbates & Abbatissas sui Ordinis: quo privilegio etiamnum hodie utitur in Belgio Ordo Cisterciensis.

XVII. Ritus hodiernus benedicendi Abbates, penè per omnia coincidit cum ritu consecrationis Episcopalis, referturque in Pontificali Romano, in quo haec duo notanda occurrunt.

XVIII. Primum quod inter articulos examinis hic recenseatur: *Vis res Monasterii tibi commissi fideliter custodire, & in usus Ecclesiae, Fratrum, Pauperum & Peregrinorum distribuere?* Respondet Benedicendus: *Polo.*

XIX. Secundo ubi Episcopo consecrando traditur liber Evangeliorum, Abbati traditur Regula sui Ordinis his verbis: *Accipe Regulam a Sanctis Patribus et aditam, ad regendum custodiendumque gregem tibi a Deo creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, & fragilitas humana permiserit.*

XX. Abbatissae etiam solemniter benedici consueverunt ritu in Pontificali descripto, in quo inter caetera haec notanda sunt.

Primum quod Praeatus benedicens tradat electae Abbatissae Regulam dicens: *Accipe Regulam a Sanctis Patribus traditam, ad regendum custodiendumque gregem tibi a Deo commissum, quantum Deus ipse te confortaverit, & fragilitas humana permiserit. Accipe gregis Domini materiam providentiam, & animarum procuracionem; & per divinae legis incedendo praeccepta, sis ei Dux ac celestis hereditatis pascua.*

XXI. Deinde absoluta benedictione Praeatus eam intronizat, dicens: *Accipe plenam & liberam potestatem regendi hoc Monasterium, & omnia quae ad illius regimen interius & exterius, spiritualiter & temporaliter pertinentere noscuntur.*

Ex his videmus, Abbatissae regimen non tantum exterius & temporale, sed & interius ac spirituale; quin & procuracionem animarum committi.

CAPUT X.

Quis Ordo & aetas in Superioribus regulis requiratur?

1. Abbates olim non erant Presbyteri.
2. Hanc disciplinam supponit Conventus Aquisgranensis saeculo IX.
3. Non refragatur huic discipline Regula benedictina.
4. Gratianus censuit ex Regula benedictina Abbates debere esse Presbyteros.
5. A mente regula aberravit Gratianus.
6. Alus Gratiani Error.
7. Ad disciplinam sui temporis respexisse videtur Gratianus.
8. Jure Decretalium Abbates tenentur ad Presbyteratum promoveri.
9. Idem est de Priore Conventuali.
10. Hodie cura Animarum requirit Sacerdotium, & quare.
11. Jure communi requiritur aetas 5. annorum in Abbate & Priore.
12. Per concordatum Gallianum recessum est ab hac jure communi.
13. Quae ratio in Gallia Abbates compellatur ad suscipiendum Presbyteratum.
14. Quae aetas jure communi in Abbatissa & Priorissa requiratur.
15. Concilium Trid. requirit annum 20. completum.
16. Quid Concilium Trid. velit dum in Monasterio non reperitur, quae has qualitates habet.
17. Quandonam ex alio Monasterio eligi possit vel debeat.
18. In electis Superiorum magis ad merita quam ad aetatem attendendum.

I. Olim non omnes Abbates Presbyteros fuisse ex antiquis Monachorum Regulis & v. tit. sat manifestum est; unde jam pridem sine ulla hesitatione Rupertus Abbas Lib. 2. in Regulam Benedictinam cap. 10. postquam locutus esset de disciplina requirente in Abbate Presbyteratum ait: *Olim non ita erat, multi Abbates erant, qui sacros Ordines non habebant.*

Ad quae aliaque reflectens Hugo Menardus in appendice 3. ad caput 23. *Concordiae Regularum*, ait: *Quare quorundam Recentiorum opinioni suffragari non possum, qui dicant Abbatem teneri ad Sacerdotium ex Regula S. Benedicti instituto.*

Deinde refert plura exempla Abbatum qui nunquam Presbyteri fuerunt, atque inter alia S. Eugendi qui nunquam ad hunc ordinem pro moveri voluit: & cum de hoc ordine suscipiendo sollicitaretur, dixit, utilius multo esse Abbati propter juniorum ambitionem liberum a Sacerdotio praesse fratribus.

II. Hanc pristinam disciplinam non obscure supponit Conventus generalis Abbatum anno 817. Aquisgrani coram Ludovico Pio habitus ad reformationem Monachorum, ubi cap. 62. dicitur: *Ut Abbas, Praepositus, vel Decanus, quamvis Presbyter non sint, Lectoribus benedictionem tribuant.*

III. Neque his refragatur, quod ex Regula S. Benedicti, Abbas animas regendas suscipiat, atque ita curam animarum habeat; quae videtur Sacerdotium supponere; ita ut communiter tradant Canonista, Beneficium cura animarum annexam habens exigere in Beneficiato, ut saltem ad Sacerdotium intra tempus a jure definitum promoveatur. Verum regimen animarum, de quo S. Benedictus, comprehendebat quidem omnem auctoritatem & jurisdictionem in Monachos, statuendi, praecipendi, corrigendi, puniendi, quantum saluti Monachorum, & disciplinae Monasticae congruit; sed Eucharistiae, penitentiae, aliorumque Sacramentorum administrationem, quae Ordinem Sacerdotalem exigunt, non complectebatur; quo sensu etiamnum hodie Abbatissae, nec non quibusdam Superioribus laicis, ut apud Cellitas seu Alexianos, cura seu regimen animarum & spiritualis jurisdictio absque potestate Clavium competere dicitur, uti late probat Zypaeus Resp. 10. *De Regularibus*; & quoad Abbatissas, manifestè supponit Pontificale, ejus animarum procuracionem incumbere, ut capite praecedenti notatum est.

IV. Gratianus tamen censuisse videtur, quod ex praescripto S. Benedicti Abbas deberet ad Sacerdotium promoveri; eod quod Abbatissae egredientibus Fratibus benedictionem Van Espen. lvs. Eccl. P. 1.

impartiri; quam non nisi a Sacerdote dari posse credidit Gratianus. Verba ejus sunt, subjecta Canonis 9. *caus. 16. q. 1.* *Superiori auctoritate non prohibentur Abbates Sacerdotibus egredientibus, & regredientibus benedictionem dari; te: quod non nisi Sacerdotum est.*

V. Verum ut notat Haestenus in prolegomeno § 8. in vitam S. Benedicti, Gratianus hic a sensu ac mente Patrum aberraverit, dum credidit *Benedictiones*, de quibus in Regulis Monasticis, non nisi a Presbyteris dari potuisse. Nam, uti bene monet Haestenus, haec monastica observantia, uti & benedictiones ministrorum & lectorum mensae nullam cum Sacerdotali Ordine habent connexionem, nec ab eo dependent. Paternus potius has dixerit, ait Haestenus, quibus abeuntes vel redeuntes, sequeuntur filios.

Plura ibidem ait Haestenus, quibus etiam ex ipsa Regula Benedictina evincit, *Benedictiones* hujusmodi non fuisse Presbyterales; multumque ostendit, Abbates ex praescripto Regulae non debuisse esse Presbyteros, atque contrariis argumentis occurrat.

VI. Notat insuper Haestenus ibidem, Gratianum multum aberrare, ac sibi quasi contradicere, dum eodem loco ait, *Lectorem Evangelii cum subsequente oratione diceret, Sacerdotalis esse officium ipsiusmet Dist. 25. Can. PERLECTIS* ex Isidoro lecti, perit, ad Diaconum pertinere Evangelium predicare. Nam sicut Lectoribus veteris Testamentum, ita Diaconis novum predicare praecipitur.

VII. Caeterum Gratianus benedictiones Monasticas, atque lectionem Evangelii asserens esse officii Sacerdotalis, forsitan ad disciplinam sui temporis reflexit; eo quippe tempore Abbates plerique Presbyteri erant. Imò tum in Synodo Pictaviensi sub fine saeculi 11. decretum erat: *Canon 7.* *Ut Abbates, Decani & Praepositi, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant, aut Praelationes amittant.*

VIII. Hic Canon postmodum relatus in Decretales Gregorii IX. in Cap. 1. *De aetate & qualitate Ordinandi*, patet juris communis constituit.

Hinc nullus dubitat, quò juxta Juris communis dispositionem atque hodiernam disciplinam, Abbates Regulares & Titulares debeant esse Presbyteri, aut infra annum ad Presbyteratum, quemadmodum alii Dignitatem aut Beneficium cum cura animarum annexa possidentes promoveri.

IX. Quod de Abbatibus hic statuitur, idem quoque in Priore Conventuali juxta modernam disciplinam ex eadem ratione obtinere receptum est: utpote cui non minus, quam Abbati cura animarum imminet; ita beneficium curatis annueratur; quae Presbyteratum requirere nullus abigit.

X. Curam enim animarum hodie involvere potestatem Clavium aliaque Sacerdotali caractere dependentia, receptum est; nec illi proprie cura animarum juxta modernam phrasim habere censetur, qui vel sui muneris non debent Sacramenta & caetera a Clavibus & Sacerdotio dependentia suis subditis administrare; quamvis alius sano sensu curam animarum habere dici possint; uti supra est expositum.

XI. Ulterius, quamvis in Regula Benedictina aut aliis Regulis Monasticis non determinetur aetas Abbatum, aut Priorum Conventualium, hodie tamen ex jure communi, nec Prioratus Conventuales, uti nec Abbatis, sunt conferendi aut committendi cuiquam, nisi annum 25. attigerit. *Cle. 1. §. CETERUM De statu Monach.* quae est aetas legitima ad Sacerdotium. Priore ergo disciplina quoad Sacerdotium necessitate in Abbate stabilita, consequens erat, & hac introduci.

XII. Hinc Rebuffus reflectens, quod vi Concordati Rex Galliae possit ad Abbatiam nominare Regularem in 23. duntaxat aetatis anno constitutum, non dubitat concedere, non tantum esse derogatum Juri communi quoad aetatem, sed etiam per consequens dispensatum censeri in susceptione Sacerdotii; ut nimirum illud infra annum conformiter ad Jus commune suscipere non teneantur. Ad Concordata titulo *De Regia & Pralat. Nominatione §. Monasteria*. Verbo: *viginti trium annorum*; ibidemque addit, quod de Jure communi requireretur, quod Abbas esset Sacerdos; tamen, hodie, ait, consuetudo se habet in contrarium. Sed non est

secundum Lucam, Abbatia fructus devorare, & Deo non servire, & non promoveri ad Sacerdotium: & tales sunt Deo exactam rationem redditori, sed conscientias eorum oneramus.

XIII. Huic abusu obviam itum est Decreto Blesensi art. 9. quo cavetur, ut Abbates & Priores Conventuales, qui aetatem legitimam attigerint, teneantur intra annum ad ordinem Presbyteratus promoveri a tempore provisionis computandum: quod si infra biennium subsequens non fuerint promoti ad illum Ordinem, Beneficia per ipsos obtenta declarabuntur vacantia & impetrabilia; ac insuper cogentur restituere fructus perceptos impendendos in pios usus. Le Prestre Cent. 2. cap. 78. in Annotationibus.

Ibidem quoque in corpore notat, pro obtinendo simplici Prioratu Regulari live in titulum live in commendam requiri, aetatem 14. annorum, tamen si nullus Ordo requiratur, sed simplex tonsura sufficiat; & ita saepius judicatum fuisse.

XIV. In Abbatia & Prioratu conventuali jure communi in c. INDEMNITATIBUS De Elect. in 6. requiritur aetas 30. annorum completorum; neque per concordata Galliae huic articulo derogatum esse monet Rebuffus loc. cit.; quia concordata non loquantur de Monialibus.

XV. Concilium Tridentinum Sess. 25. c. 7. De Regularibus vult, ut Abbatia & Priorata, & quocumque alio nomine appelletur, eligatur non minor annis quadraginta & quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit.

Requiri annum quadragesimum completum post Garcia probat Fagnanus ad cap. CUM IN CUNCTIS. De Elect. n. 123.

XVI. Quod si his qualitatibus non reperitur in eodem Monasterio, pergit Synodus, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni praestit, videatur; ex his qui in eodem Monasterio, annum trigessimum exceperint, & quinque saltem annis post professionem recte vixerint, Episcopo, vel alio Superioriore consentiente, eligatur.

XVII. Refert autem Fagnanus ad c. CUM IN CUNCTIS. De Elect. n. 14. quod si reperitur in Monasterio Monialis quadragenaria cum qualitatibus a Synodo requisitis, tunc non possit eligi ex alio Monasterio ejusdem Ordinis. Si autem talis in ipso Monasterio reperitur; tunc etiam poterit de consensu Episcopi aut Praelati electioni praesidentis eligere aliam quae trigessimum annum exceperit & quinque annis saltem post professionem recte vixerit. Quod si nec talis in proprio Monasterio reperitur, nec quadragenaria in alio Monasterio ejusdem Ordinis, tunc poterunt ex alio Monasterio ejusdem Ordinis eligere, quae trigessimum aetatis annum expleverit, & ad praecipitum Decreti Tridentini professi sit. Nulla tamen aetate minoris aetatis eligi poterit, sed postulanda a Sede Apostolica; idque ob prohibitionem in citato Cap. indemnitate.

XVIII. Caeterum in electione Abbatum & Abbatissarum praecipue ad merita & capacitatem attendendum est, quemadmodum optime expressit S. Benedictus in Regula, & Justinianus in sua Sanctione, quorum verba capite praecedenti n. 2. & 3. relata sunt; neque certa aetas, aut tempus professionis jure positivo praescripta fuerunt, nisi quae credebatur, quod haec conducerent, ut melius de capacitate provideretur Monasteriis.

nenosa radice multa peccata proveniunt, ut puta contumacia, superbia, contentio, partialitas, avaritia, vana gloria, invidia, mendacium, luxuria, occupatio infructuosa, cura superflua, multiplex dissolutio, varia mentis distractio, aecidia, negligensque Divini officii perolutio, atque similia.

IV. Pluribus haec ibidem prosequitur Dionysius, ut videri poterit in Dissertatione mea Canonica De Peculiaritate parte 1. c. 3. §. 5. ibi plura eam in rem referuntur.

Qui igitur reformationi intendunt ante omnia allaborare debent, ut vitium hoc radicitus evellant, occasioneque peculiaritatis Monachis adimere studeant; juxta ea, quae tu in citata Dissertatione, tum supra tit. 29. notavimus.

V. Exitialis quoque Monastica disciplinae est recessus a paupertate religiosa in victu, vestitu, suppellectile, aedificiorum structuris & ornatu, totoque vitae genere.

Dum enim semel a paupertate ac simplicitate Monastica in his desectitur, facile ad delicias in cibo & potu, molliem in vestibus, saeculi pompam & fastum in suppellectile, superfluitatem in aedificiis, & a Christiana hospitalitate ad saecularia & mundana convivia & epulas devenit, tunc.

Haec vero ubi semel invaluerint, sensim omnem paupertatis, simplicitatis nec non mortificationis & penitentiae spiritum in Monachis extinguunt; ac de spiritualibus carnalibus & mundanis efficiunt; quemadmodum de similibus suo tempore dixit S. Bernar. in Apologia ad Guilielmum Abbatem.

VI. Ulterius dum in Monasteriis mensa laurè instructa, aedificia ut Principum penè Palatia, supellex superba habentur, notum est fieri, ut Monasteria hujusmodi non tam ambient illi, qui rejectis pompis ac deliciis mundi Christo pauperi in paupertate ac humilitate vivere desiderant; quam illi, qui commodè & laurè vivere volunt; ac sub Christo paupere quaerunt, quod in saeculo invenire non possunt.

Hinc deinde fit ut plures in similia Monasteria irepant, quos non uraxit Divina vocatio ad humilitatem Christi [verba sunt Bellarmini lib. 2. c. 7. De Gemitu Columbae] sed carnalis affectus, qui mentem excecavit, duxit illos, vel ad vitam commodiorem, cum essent pauperes, vel ad honores ambiendos in Religione, cum in saeculo non invenirent, quae via pollet ascendere: vel alio humano consilio vestem induerunt, sed mores non mutaverunt.

VII. Quin & ipsa quotidiana experientia docet, quod Monasteria hujusmodi secundum saeculum commoditatibus & apparatus externis instructa reputent pro non exiguo, etiam juxta mundi aestimationem, beneficio, quod multa sollicitatione & amicorum interpellatione in erudi obtinendum est, alicujus ad Religionem admissionem: tantum, ut non raro hic humana plures considerationes interveniant.

VIII. Hujusmodi autem ad Religionem introitus & admissiones, quid aliud quam ipsas Monasticas disciplinae integritatem ruinam parere possunt.

Sane fecerat malum illud saeculo 9. Monachi Fuldenses, supplicantes idcirco Carolo Magno, ut nullus ante probationem suscipiatur, neque corpori Monasterii societur; ne forte iniquum, aliquis propter commoda terrena potius quam propter aeternam vitam amorem se sociare voluerit & receperit in honesto suo more conturbet fratres.

Adhaec dum ita omnia in Monasteriis splendent & abundant, atque a Monastica paupertate, fragilitate & simplicitate recedunt, quantum ad Monasteria hominum mundanorum confluxus; qui ipsis Monachis non tantum quietem adimunt, sed sua visitatione, conversatione & colloquiis spiritum saeculi inspirant, eosque totos saeculares efficiunt; ut de Monachis propterea non raro verificari queat illud Prophetarum: Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.

IX. Quam facile insuper in Monasteriis hisce orationis ac meditationis spiritus extinguatur, probe intelligit, qui novit, quam parum cum abundantia ac deliciis in cibo & potu alisque corporis oblectamentis hujusmodi spiritus consistat. Spiritu vero orationis modè refugescente etiam ipsa religio refrigescat necesse est; uti bene & fuse ostendit Van Espen. Ins. Eccl. P. 1.

Joannes De Lezana De Reformatione Regularium c. 3. §. 4.

X. Haec aliaque, ut sunt otium, evagandi libertas, rerum temporalium cura, atque de hisce cum hominibus saecularibus tractandijmo & lites ac forenses contentiones sustinendi & prosequendi necessitas, Monastica disciplinae adeo exitialia, unde primitus oriri solent, nisi ex ipsa divitiarum & rerum temporalium nimia affluentia qua & ipsos Abbates Laicos & Commendatarios progenitos esse supra vidimus.

Hinc jam pridem a multis animadversum est, ipsam divitiarum affluentiam Monasticam disciplinam a vitamque pietatem in multis Ordinibus extinxisse.

XI. Quid haec de re dixerit Trithemius supra Tit. 29. c. 7. n. 14. notatum est. Cui adde Arnoldum Abbatem Lubecensem in supplemento Helmoldi Lib. 3. c. 9. Crevit post, sessio, & evanuit religio, siquidem ex temporalium abundantia, dum caeperunt carnaliter vivere, caeperunt etiam carnaliter sapere; refrixit charitas, subintravit mundalitas.

Quid mollem ac dissolutam Monachorum vitam, luxu & ornatu in vestibus & suppellectile, splendorem Praelatorum apparatus, nec non luxum & abusu in templis & aedificiis a S. Bernardo tam acriter exagitatum, in Ordinem Benedictinum invexerat, nisi ipsa rerum temporalium abundantia;

Quid rursus Ordinis Cisterciensis, qui tanquam vitis fructifera, & vinea Domini Sabbatho sub primis suis Prioribus pullulaverat, & palmites suos longè lateque producens ad morisera pellenda circumquaque venena flores produxit, uti loquitur Alexander III. quid inquam, Ordinis hujus sanctitatem labefactavit, nisi ipsa rerum temporalium affluentia; quemadmodum idem Pontifex deplorat in epistola ad Abbates Cistercienses relato in c. 3. De Statu Monach: & supra tit. 29. cap. 3. num. 14. exhibita.

XII. Ex his nequaquam tamen concludendum, divitias multarumque rerum temporalium abundantiam nullatenus cum integritate disciplinae Monasticae, ipsoque spiritu Religionis posse consistere.

Certe multas opes olim possedit Ordo S. Benedicti in quibusdam Monasteriis (uti notat Mabillonius in praefatione ad primam partem saeculi IV. Benedictinorum n. 143) sed iis recte uti sunt, ait, Majores nostri. In Cenobio Cluniacensi una die septemdecim millia pauperum congrua stipe donati sunt, ut legitur apud Udalicium lib. 3. Consectud. Cluniacensium. cap. 12.

Nostra quoque aetas conspiciat Monasteria in magna rerum temporalium copia, summam austeritatem & paupertatem cum summa in pauperes effusione & Christiana hospitalitate conjunctam, servant; atque per totam Europam vitae Monasticae perfectionis odorem spargunt.

XIII. Negari tamen nequit, quin summae difficultatis, magnaque perfectionis sit, inter divitias, eam tenere moderationem, ut a paupertate & simplicitate Monastica non devietur, easque omnes supra memoratas collapsiois & dissolutionis causas totaliter evitare.

Unde qui reformandae Monasticae disciplinae intendunt, nequaquam abundantiam divitiarum desiderare debent; & si adit, multum ac praecipue satagere, quo modo dissolutionum rivulos ex hac abundantia divitiarum tanquam ex infecto fonte emanantes occludere vel exsiccare queat.

XIV. Hoc expendit primi Ordinis Carthusiensis Fundatores de quibus refert Robertus Montensis in supplemento Sigeberti ad ann. 1133. Carthusiensis praeter ceteris continentis, pesti avaritia, qua plurimos sub religionis habitu laborare videmus, terminos posuerunt, dum certum numerum hominum (id est, colonorum seu feudatariorum) animalium, possessionum, quem eis praetergredi nullo modo liceat, statuerunt. Et de eisdem Jacobus a Vitriaco in hist. occid. lib. 2. cap. 18. Habent autem certum animalium numerum & certas metas possessionum quibus mediocriter austeram vitam valeant sustentare.

XV. Similiter S. Franciscus alique Ordinum Mendicantium Patres videntes ex ipsa rerum temporalium possessione praecipue Monasticae disciplinae relaxationem & dissolutionem promanasse, omnem rerum temporalium possessionem non tantum in particulari, sed etiam in communi, suis

TITULUS XXXII.

De Regularium Reformatione & Visitatione.

CAPUT I.

Praecipuae causae collapsae disciplinae Monasticae recensentur,

1. Omnia humana mutabilitati obnoxia.
2. Ordines etiam sanctissimi instituti, eam senserunt.
3. Prima Causa relaxationis peculiaritas.
4. Haec eradicanda est.
5. Recessus a paupertate in victu, vestitu, aedificiis, & suppellectile disciplinae Monasticae exitiales.
6. Haec recessus trahit ad Monasteria homines carnales.
7. Fuit ut in admissione ad Religionem humana multa intererant.
8. Similis ad Religionem introitus & admissio rala rationi religionis occasionem subministrat.
9. Saecularium hominum ad Monasteria Confluxus Monasticam disciplinam labefactat.
10. Omisio orationis Religionis spiritum extinguunt.
11. Haecque & alia multa oriri solent ex divitiarum affluentia.
12. Ex rerum temporalium nimia abundantia collapsam Monasticam disciplinam plures deplorarunt.
13. Rerum temporalium abundantia non omnino repugnat cum perfectione vitae Monasticae.
14. Est tamen difficile utramque simul componere.
15. Quid ad aborandum periculis orituris ex hac abundantia stauerit Ordo Carthusianorum.
16. Ordines Mendicantis omnem rerum temporalium possessionem ideo abdicarunt.
17. Penuria horum Ordinum ex nimia Fratrum multiplicatione orta, plures relaxationis Causas dedit.
18. Prima est negotiorum multiplicitas.
19. Secunda, evagatio nimia.
20. Tertia affectata amicitia & familiaritas cum divitiis & Magnatibus saeculi.
21. Quarta, occupatio jurium Parochialium.
22. S. Bonaventura restrictum voluit numerum Fratrum, uti & primi Capucinorum Patres.
23. Penuria facit, ut plures non satis probati ad religionem admittantur, quod Monastica disciplinae exitiale est.
24. Regularum interpretationes & mitigationes, disciplina rigorem relaxandi occasionem dederunt.
25. Saecularium confessiones excipere Ordinum Mendicantium prolapsionem occasionem dare potest.
26. Applicatio ad functiones Hierarchicas hisce Ordinibus relaxanda materiam subministrare nata est.

I. A Terza lex (ait Lipsius Lib. 1. De Constantia cap. 16.) a principio dicta omni huic mundo, nati, denati, oriri, abortiri, nec quidquam stabile; ut firmum arbitrium, le rerum esse voluit, praeter ipsum. apud quem, tunc A. postolo, non est irasimus, nec vicissitudinis obumbratio.

II. Hanc rerum humanarum vicissitudinem ac mutabilitatem experti quoque fuere quotquot etiam tantum in instituti sunt Monachorum atque Religiosorum Ordines. Quis nescit, quam sancta fuerint Ordinum illorum unita, quam bonum per ecclesiam universam sperari ut odorem, quam sanctae caritatis illorum, ac etiam horum filii vixerint. Sed nec hoc ignoratur a perfectione & sanctitate sua Ordines illos sentiri ad magnam subinde prolapsionem esse deformitatem; cujus prolapionis penè tot sunt testimonia, quot de rebus Monasticis sunt scriptores.

Illi consuli poterunt. Nos hic eorum testimonio omisiss, causas praecipuas collapsiois & defectiois Monasticae disciplinae breviter annotabimus; ut qui reformationi Monasteriorum intendere ac invigilare jubentur, causas & radices collapsae disciplinae intelligentes, iis tollendis & eradicandis praecipue incumbant & allaborent.

III. Harum facile praecipua jam pridem reputata est peculiaritas, live vitium proprietatis.

Et quidem S. Gregorius lib. 10. epist. 22. mandat Episcopo Mariano, ut peculiaritatem a 4. aut 5. Monachis, in quibus haec tunc corrigi minime potuit, studiohilissime compefcat, & Monasterium a tali peste mundare festinet: Quia, it, si illic peculiaritas a Monachis habetur, neque concordia, neque charitas in Congregatione eadem poterit permanere.

Si autem concordia & charitas a Congregatione Monastica extuler, sane quid exurgit nisi confusa Babylon, & vitiorum spelunca.

Unde Dionysius Carthusianus tractatu De Reform Claustr. art. 16. dans raison cur Patres Monachorum proprietate live peculiū tam rigore prohibuerint, ait: Consideraverunt enim quod ex proprietate seu peculio tanquam ex venenosa